



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**S. Augustinus, Episcopus in Africa Hipponensis, Veritatis  
Evangelico-Catholicæ In Potioribus Fidei Controversiis  
Testis Et Confessor, Contra Bellarminum Et Alios  
Scriptores Papæos, antiquos pariter & ...**

**Reiser, Anton**

**Francofvrti, 1678**

Lib. I. cap. 18. & seqq. de Cælibatu Sacerdotum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72506](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72506)

voluitque Deus, ad majorem Divi gloriam, eum à multis Pontificibus amatum fuisse & à nullo promotum, ut videret & admiraretur posteritas, tot ab illo superatos labores sine premio, quem ipsum pictores, annis post mortem plurimis, non ut exprimerent penicillo, quod factum est, sed quod debuit, donarunt purpura & leone, ne nimium colore distaret à Gregorio, Ambrosio & Augustino, quorum cultu, doctrina & laurea est in Fastis Ecclesiasticis Socius.

## CAPUT DECIMUM OCTAVUM &amp; seqq.

De

## Cœlibatu Sacerdotum.

Hunc Cœlibatum non Jure quidem divino, attamen Apostolico sacris ordinibus rectissime annexum esse, ut probet Bellarminus, non solum more suo ad Augustinum, sed & ad Statuta Conciliorum in Africa, nominatim Carthagine, Augustini tempore celebratorum provocat. In utroque eum id non ostendisse, quod ostendere juxta præscriptum lemma debebat, proxime erit manifestum. Et quidem quod attinet authoritatem Conciliorum Carthagenensium Augustini tempore celebratorum, è secundo Canonem secundum ita decernentem adducit: *Omnibus placet, ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui sacramenta contrahant, pudicitia custodes etiam ab uxoribus abstineant;* hac addita ratione, *ut quod Apostoli docuerant, & ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Quia verò ad Concilii ibidem celebrati numero & ordine quinti Canonem tertium quoque provocat, lubet ejus verba, prout à Cocciolano citantur, audire: *Cum de quorundam Clericorum, quamvis erga proprias uxores, incontinentia referretur, placuit Episcopos & Presbyteros & Diaconos secundum propria statuta etiam ab uxoribus continere; quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio. Ceteros autem Clericos ad hoc non cogi, sed secundum uniuscujusque Ecclesiæ consuetudinem observari debere.* Dum posterior hic Canon priorem enucleare videtur, id imprimis venit attendendum, quid Patres Africani per statuta propria voluerint intelligi, quia Interpretum super eo non una eademque mens est. Cocciolanus enim, & cum eo alii plures putant, intelligendum hoc esse secundum legem in prioribus Conciliis Carthagenensibus conditam, & hinc meliorem aliam lectionem habere, secundum priora statuta. Addit, Græcos hæc verba male intelligentes vertisse, κατὰ τὰς ἰδίους ἑρῆς, & hac translatione hereticos cœlibatum Clericorum impugnare, quasi Canonis hujus authoritate Clerici ab uxoribus in ordine tantum vicis sua deberent abstinere, reliquis verò temporibus maritali consortio iisdem cohabitare liceret. Putat, ineptè id fieri, siquidem, præter hoc, quod major sit authoritas editionis Latine, quàm Græcæ translationis, prædicta verba exponi possent, (cur non possint?) secundum proprias leges & regulas: cum ἑρῆς non tantum significet terminum, sed regulam etiam ac præceptum. Concludit, hoc Concilio omnem usum uxorum sacris hominibus prohiberi, liquidissime ex Augustino, qui huic interfuerit Concilio, patere, lectorem remittens ad Bellarminum, ubi eadem leguntur. De Augustino agetur paulò post, nunc id tantum notetur, quod ex Bellarmino Cocciolanus Interpretes hujus decreti Græcos iniquius accuset, quasi male illud intellexerint; & quod posita etiam translatione ea, κατὰ τὰς ἰδίους ἑρῆς, nihilo tamen minus exponi posset (non possit, multò minus debeat,) secundum proprias leges & regulas, statuens. Nondum enim sufficienter demonstravit Cocciolanus vel Bellarminus, vel quivis alius Latine authoritatis Patronus, majorem esse Latine Editionis, ut hodie communiter prostat, quàm Græcæ translationis, certè non nisi antiquissimæ, authoritatem. Neque etiam perinde est, qua ratione aliquid posset vel etiam possit exponi, sed omnino ex documentis fide dignis indagandum est omni sollicitudine, quo modo intelligi ad authoris vel scriptoris mentem debeat. Hinc Zonaræ ubi non ad suam modo, sed totius Ecclesiæ Græcæ, suo tempore, quo vixit, mentem, laudata decreti verba scribit intelligenda, κατὰ τὰς ἀγιωτάτας ἡμέρας τῆς ἐκείνης ἐθνικῆς, id est, in præstitutis uniuscujusque vicis diebus; contra Romanos jam tum Cœlibatum legaliter sacris hominibus imponentes, ad Canones Apostolicos, qui apud Græcos illo tempore non parvi æstimabantur, provocavit, cum in primis, quo Episcopis, Presbyteris & Diaconis injunctum fuit, *ne uxorem quis suam pietatis prætextu efficiat;* dehinc ad Canones Synodi sextæ, in specie tertium & decimum, exigentem à Presbyteris, Diaconis vel Subdiaconis, *ut à propriis (etiam) uxoribus abstineant κατὰ τὰς καίρας τῆς τῶν ἀγίων μυστηρίων μεταχειρίσεως,* id est, tempore contrahæ-

X

tionis

tionis sanctorum Mysteriorum; hac addita comminatione severissima, *Quod si quis ausus fuerit Presbyteros vel Diaconos vel Subdiaconos conjunctione & societate uxoris legitimâ privare, deponatur.* Bellarminus quidem hanc Zonaræ & aliorum ex hac Synodo Trullanâ illationem ideo infringi posse putat, quod in ea non de Episcopis & Presbyteris simul & conjunctim, sicut in Concilio Carthagenensi agatur, adeoque ad institutum præsens decretum ex ea citatum pertinere non videatur. — Verum satis hic esse potest, si exinde phrasim, *secundum propria statuta*, ritè intelligatur, nimirum, quod Apostolorum doctrina, ad cujus normam Patres Africani decretum formarunt, non omnimodè sacris ordinibus matrimonium interdixit, sed ad imitationem sacerdotum V. T. tempore administrationis sacrorum continentiam studium commendaverit. Nunc ad ipsum veniamus Augustinum, ex quo ad probandum jus Apostolicum pro cœlibatu sacris ordinibus annexo sequens testimonium depromit Bellarminus: *Solemus proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt.* Et quia Bellarminus monet, ut inter-

lib. II. de  
adult. con-  
jug. c. 20.

ger apud Augustinum inspiciatur locus, ea, eum prolixiorum: *Istos, qui virilem excellentiam non putant nisi licentiam peccandi, quando terremus, ne conjugis adulterius herendo pereant in æternum, solemus eis etiam proponere continentiam Clericorum, qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inviti, eamque susceptam usque ad debitum finem Domino adjuvante perducunt. Dicimus ergo eis, quid si & vos ad hoc subeundum violentia populorum caperemini, nonne susceptum caste custodiretis officium, repente conversi ad impetrandas, à Domino vires, de quibus nunquam antea cogitastis? Sed illos, inquit, honor plurimum consolatur. Respondemus, & vobis timor amplius moderetur. Si enim hoc multi Dei ministri repente ac inopinanter impositum susceperunt, sperantes, se illustri in hereditate Christi fulgere, quanto magis vos adulteria cavendo continenter vivere debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in Gehenna ignibus ardere.* Varia hic occurrunt notata digna, si mentem Augustini in his verbis ritè velimus percipere. Unum est, agere Augustinum exempli gratia de iis, qui olim, ut paulò ante etiam fuit observatum, inviti ad sacrum munus suscipiendum fuere admoti, de quibus alibi ita scribit sanctus

Epist. 204.  
ad Donat.

Doctor: *Multi, ut Episcopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur, patiuntur tanta, quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.* Secundò certum est, exque verbis Augustini clarum, agere Patrem augustum ibi contra adulteros, quos ut à crimine nefando dehortetur, in exemplum sistit Clericos continentes. Quales autem? an illos, qui, dum inviti ad sacrum munus sunt attracti, adhuc cœlibes fuerunt, & qui pro more illis temporibus recepto ob sacrum illud munus in cœlibatu vivere debuerunt? Ita quidem video esse, qui hæc Augustini verba intelligant; an verò illos, qui primis uxoris mortuis ab altero matrimonio, itidem ob legem Ecclesiasticam abstinerunt, ne tanquam digami officio moverentur? Et hoc placere non plane nullis video. Neutrum ex verbis Augustini ita clarè patet, ut vel huic vel illi sententiæ tuto quis & absque metu contradictionis possit inniti. Restat ergo, ut missis jam aliis, quæ hic porro moneri possent, si opus esset, illud pro Tertio attendamus, Augustinum, de quacunque etiam agat continentia, quam in Clericis commendat, nullam plane juris Apostolici facere mentionem, sed de eaita loqui, tanquam de re suo tempore usitata, & cujus respectu non inconsultum duxit adulteros ad continentiam, non omnimodam, à propriis etiam uxoris, sed conjugalem, & quæ pios decet maritos, hortari, ut nimirum intra terminos pudicitie conjugalis continere se discant in posterum, promiscuam libidinem ex debito Christianismi fugientes, quod alibi quoque graviter inculcavit scribens: *Cubilia & impudicitia tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modo Ecclesiastico Ministerio, sed ipsa etiam sacramentorum communione videatur, qui se isto peccato maculavit.* Ubi certum est, per cubilia & impudicitias non usum conjugalem, sed promiscuam, ut dixi, libidinem intelligi; quam sicut inter Christianos in universum vult esse sine exemplo, ita si usum quoque conjugalem Ministerio Ecclesiastico censuisset incompetentem, hoc in loco monere non intermisisset, ubi ejusdem facta est mentio expressa. Alterum, quod huic Augustini testimonio subjungit Bellarminus ex Authore Questionum utriusque Testamenti, prætermittere possemus, dum agnoscere contra semetipsum coactus fuit Bellarminus, non esse illud opus Augustini, ut titulus præ se fert; quamvis an Augu-

Epist. 64.  
ad Aurel.

stino

stino sit antiquior, ut idem vult Bellarminus, an verò recentior, non adeò manifestum sit. Satis est, visum fuisse hunc authorem Bellarmino jam seniori in de scriptoribus Ecclesiasticis libro *hæreticum*, id quod etiam per exempla studuit demonstrare. Et quamvis ex indebita liberalitate concederemus, esse Augustinum hujus scripti authorem, citata tamen exinde à Bellarmino verba id non probant, quod probare debebant, si lemma præscriptum attendamus. *Quærit author: Si licet & bonum est nubere, cur Sacerdotibus non licet uxores habere, id est, ut ordinatis jam non liceat convenire?* Et respondet: *Quis nesciat, unum quodque suam habere legem? Est enim, quod omnino generaliter omnibus non liceat, est item, quod aliis licet, & aliis non licet. Et est, quod aliquando licet, & aliquando non licet.* Hoc ubi per exempla exposuit, sequentia subjungit: *Per hoc & magis quidem in Dei causis antistitem ejus puriorem ceteris esse oportet, ipsius enim habere videtur personam, est enim vicarius ejus; ut quod ceteris licet, illi non liceat, quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere.* Prolixum hujus responsi examen nunc non instituo, hoc saltem dico, nullam juris divini vel Apostolici mentionem in his fieri verbis, quin potius in paulò antecedentibus, quod hoc ipsum jus attinet, aliam per omnia sententiam extare: *Vt aliquid de Apostolis dicatur, quod ad robur pertinet causa, certe sanctus Iohannes captivum fuit custos, condiscipulus autem ejus, id est, sanctus Petrus uxorem habuisse cognoscitur. Vt primatum acciperet inter Apostolos, non ei obstitit generatio filiorum. Quomodo ergo condemnandum putatur, quod non impedit meritum? Hinc Apostolus eum, qui uxorem habeat, (non tantum, qui habuit,) si in ceteris servet mandata, Sacerdotem fieri posse, ac debere ostendit. Quod si illicitum esset, non poterat utique peccatorem dicere fieri debere Sacerdotem. Et quid tam apertum? Satis nimirum aperta hæc sunt, quæ nunc Bellarminus inter errores hæresin spirantes cum aliis recensere potuerit, non immerito dubitatur. Hoc autem certum est, quod sicut hic scriptor conjugium Clericorum ad jus Apostolicum expressè refert, ita Augustinus in catalogo hæreticorum meminerit aliquorum, qui se Apostolicorum nomine arrogantissimo vocaverunt, eò quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus, & res proprias possidentes, contra quos Augustinus testatur, quod Ecclesia Catholica tales plurimos & Clericos & Monachos habeat, quod & de usu conjugii simul, & de propria rerum possessione intelligendum esse tam diu stabit, donec aliud ex verbis Augustini ostendatur, quæ nullam plane differentiam inter utrosque ostendunt.*

Sed plus ultra, & quidem duce iterum Bellarmino, qui post laudata Conciliorum & Ecclesiæ Doctorum pro cœlibatu Clericorum ex apostolico jure testimonia, additaque aliquorum exempla, tandem ad rationes venit, quibus hoc institutum confirmare nititur, tanquam certis rationibus fundatum. Inter eas numerat ac primo statim loco recenset impedimentum illud, quo manus sacrificandi inprimis statuit impediri, utpote in quo summa quedam puritas & sanctitas requiratur, neque non possit, quia in actu conjugii admixta sit quedam impuritas & pollutio, quæ quidem non sit peccatum, sed ex peccato tamen nata. Non enim solum conjugium Sacerdotum, ita porro scribit Bellarminus, verum non adductum juris divini & Apostolici, sed humani & apotactici, (ne quid juxta Pauli phrasin durius dicam) quod non conjugium, sed sacrilegium est, (quo autem apostolo definitore?) verum etiam sanctorum matrimonium sine pollutione quadam & turpitudine non exerceri, satis testator rebellio membrorum & humana in illo actu verecundia, quæ notante Augustino secretum semper querit. Accedit impedimentum aliud, quod secundæ rationis loco adfert Bellarminus, quo putat etiam impediri studium orationis & lectionis, in quo adfiduè Sacerdos debeat versari; cum tamen oratio requirat mentem elevatam, purgatam atque tranquillam, actus verò conjugii teste eodem Augustino maximè hebetet aciem mentis, & deprimat ad inferiora & perturbet, & ipsam animam quodammodo faciat carnalem. Quia utrobique ex Augustini opere de Civitate Dei testimonium desumitur, inde etiam responsio expectari debet. Ubi notandum, quod etiam scribat sanctus Doctor, actum conjugalem querere secretum, non tamen id voluisse intellectum, quasi actus ille esset illicitus & inhonestus, quem ibidem licitum potius dixit & honestum, verbis notatu dignissimis: *Quid concubitus conjugalis, qui secundum matrimonialium præscripta lib. 14. c. 18. tabularum procreandorum sit causa liberorum? Nonne & ipse tanquam (rectius, quamquam) sit licitus & honestus, remotum ab arbitris cubile requirit.* Post pauca: *& quoniam, sicut ait quidam Romani maximus Author eloquii, Cicero nimirum, omnia rectè*

facta in luce collocari se volunt, id est, adpetunt sciri; hoc rectè factum sic adpetit sciri, ut tamen erubescat videri. Et iterum post aliqua: Sic hoc rectè factum ad sui notitiam adpetit lucem animorum, ut tamen refugiat oculorum. Unde hoc, nisi quia sic geritur, quod deceat ex naturâ, ut etiam quod pudeat, committitur ex pœna. Non igitur juxta Augustinum ipse actus conjugalis est peccaminosus vel culpabilis; sed pudor, qui post lapsum huic actui adnectitur, est

c. 2. 2. & 23. ex pœnâ. Expressit hanc suam Augustinus Pater mentem in paulo post sequentibus: Certum est, masculum & feminam ita primitus institutos, ut nunc homines duos diversi sextus videmus & novimus. Quisquis autem dicit, non fuisse coituros nec generaturos, nisi peccassent, quid (aliud) dicit, nisi propter numerositatem sanctorum necessarium fuisse hominis peccatum? Quod verò attinet impedimentum in studio orationis ac devotæ meditationis, Augustinum non de legitimo & moderato conjugii usu ibi fuisse locutum, alibi satis apertè testatus est, de sanctitate conjugum Christianorum non nisi elegantissimè scribens, eo in opere, quò duriora à Hieronymo contra Jovinianum scripta temperare & emollire pro bono conjugali laudabiliter laboravit: Quod ait Apostolus, quæ in nupta est, cogitat ea, quæ sunt Domini, ut sit sancta & corpore & spiritu, non sic accipiendum est, ut putemus, non esse sanctam corpore Christianam conjugem castam. Omnibus quippè fidelibus dictum est, quoniam corpora vestra templum in vobis est Spiritus Sancti, quem habetis à Deo? Sancta sunt etiam corpora conjugatorum fidem sibi & Domino servantium; cui sanctitati cujuslibet eorum nec infidelem obistere conjugem, sed potius sanctitatem uxoris prodesse infideli viro, aut sanctitatem viri prodesse infideli uxori, idem Apostolus testis est, dicens: Sanctificatus est vir infidelis in uxore fidei, & sanctificata est mulier infidelis in fratre fidei. Plura eo in scripto extant, quæ sanctitatem conjugum Christianorum à quibusvis impropriis divini ordinis osorum quam optimè vindicare possunt. Sufficiant nunc indicasse locum, unde contra antagonistas arma non sine numero prostant.

Non ad Bellarminum revertimur, visuri, an feliciori Marte ea repellere possit, quæ pro conjugio Clericorum ex Augustino adduci solent, utur hinc inde quædam interveniant, quibus ex eodem Augustino diluere objectiones conatur Bellarminus. Videamus, quid utrobique præstiterit, & à quibus potissimum partibus stet Doctor Augustus. Et ad locum quidem Apostolicum, cumque in hac re classicum, quo nuptias prohibere non modò hæreticorum notam esse scripsit Paulus, sed plane inter doctrinas à Satanâ in orbem inventas retulit, ex Augustino & aliis Ecclesiæ doctoribus monet Bellarminus, notari ab Apostolo eos, qui absolute nuptias prohibeant ut malas, quales in primis fuerint olim Tatianus, Marcion & Manichæus. Quia autem ex eodem Augustino objicitur, Manichæos in specie non prohibuisse nuptias, nisi suis electis, qui apud eos erant quasi Sacerdotes & Monachi, & tamen dici eos ab Apostolo notatos, docente, prohibitionem nuptiarum esse doctrinam Dæmoniorum, idè occupatus est in eo Bellarminus, ut aliquam ostendat differentiam inter Manichæorum & Ecclesiæ Romanensis in hoc puncto doctrinam, ex Augustino evincere studens, à Manichæis interdictas simpliciter nuptias, quia etsi eas permisissent auditoribus, id fecisse idè, quia aliud obtinere non potuerint, imò eos sic permisisse nuptias ad explendam libidinem, ut tamen conceptum & liberorum procreationem cavendam esse monerent, id quod sit nuptias apertissimè deestari. Addit, Romano-Catholicos autem non solum tolerare Christianos conjuges, sed & laudare, ac idè potissimum, quod ad procreationem liberorum nuptiæ à Deo institutæ noscantur. Eò libentius hæc ex Bellarmino adscripsi, quia in responso ad indagandam Augustini sententiam ea occurrent, quæ non parum præsens institutum illustrare possunt. Ubi in primis est notandum, Faustum insignem Manichæum, contra quem Augustinus tres & triginta Libros scripsit, illam accusationem, quasi Paulus de Manichæis fuisset vaticinatus, in Catholicos multo cum impetu retorissè, sequentia apud Augustinum contra Catholicos scribendo: Videte, quæso, videte, ne summæ dementia hoc sit, à Paulo dictum putare, quod

» Dæmoniorum doctrina sit abstinentia omnis ciborum & prohibentes nubere,

» quemadmodum nec illud, quod dicit, etiam virgines dicare Christo Dæmoniorum esse doctrinas, quod vos perinde sine consideratione legentes, ut cætera, ad nos subinde respicitis, nec videtis hinc & virgines vestras Dæmoniorum doctrina captas notari, & vos esse antistites Dæmoniorum, qui certatim semper ad hanc eas incitetis professionem suasionibus vestris, ut penè jam major in Ecclesiis omnibus virginum apud vos, quam mulierum numerositas habeatur. Quid ergò, num

1. Timoth.  
4.  
lib. 30.  
contra  
Faust. c. 5.  
& 6.  
lib. II. de  
monib.  
Manich.  
cap. 18. &  
Epist. 74.  
ad Deuter.

lib. 30.  
contra  
Faust. c. 4.

num & vos jam desistitis à talibus inceptis? Quid in fraudem miseris inducitis filias hominum, si non in eis Christi voluntas impletur, sed Dæmoniorum? Et tamen hoc nobis primò respondeatis velim, utrum omninò virgines facere doctrina sit Dæmoniorum, an solum per prohibitionem nubendi. Si per prohibitionem, nihil ad nos; nam & ipsi tam stultum iudicamus inhibere volentem, quam nefas & impium cogere nolentem. Si verò favere huic quoque proposito & non reluctari volenti, id quoque doctrinam putatis esse Dæmoniorum, tacet nunc vestrum periculum, ipsi jam timeo Apostolo, &c. *Post aliqua:* Non est interim, quod vos existimeris solis hortamentis virgines facere, & non prohibitione nubendi; nobis enim quoque hoc ipsum est insitum. Et demens profectò ille, non stultus tantum est putandus, qui id existimet lege privata prohiberi posse, quod publica sit concessum. Dico autem hoc ipsum nubere. Quapropter & nos hortamur quidem volentes, ut permaneant, non tamen cogimus invitare, ut accedant. Novimus enim, quantum voluntas, quantum & naturæ ipsius vis etiam contra legem publicam valeat, nedum adversus privatam, cui respondere sit liberum, nolo. Si igitur hoc modo virgines facere sine crimine est, extra culpam sumus & nos; sin quoque genere virgines facere crimen est, *rei estis & vos.* Optimè videlicet pessimam egit causam Faustus, *eloquio suavis, ingenio callidus*, quali eum elogio sub initium operis stetit ipse Augustinus, aliqua suis hisce vindiciis pro depulsione accusationis gravissimæ interferens, quæ nobis quoque in præsentî tractatione usui esse poterunt. Nimirum nullius publicæ legis meminit Faustus, ubi doctrinæ Catholicorum de cœlibatu mentionem facit, eam non intermissurus, si certus ejus rei fuisset, cum id ad suum contra Catholicos propositum quam-maximè inservisset, eò scilicet magis accusationem retoriturus in accusatores. Quin & dum de virginibus Catholicorum agit, quas nullo tamen singulari voto, sed *suasione* saltem ad servandam virginitatem fuisse adductas, de cœlibatu verò sacerdotum & sacris in ecclesiâ ministeriis addictorum tanquam adjuncto quodam necessario nihil planè subjungit, credere non impar est, tum temporis nondum id omninò (multò minùs jure Apostolico) fuisse receptum, ut nulli Marito sacris apud Catholicos operanti uxorem habere eamque retinere licitum fuerit. Neque enim id silentio prætermisisset Faustus, cum ad causam contra catholicos defensionem non planè nullum attulisset momentum. Et si responsum Augustini ad objectiones Faustî perpendamus, quod ibidem legi potest, hic prolixè non exscribendum, nullibi in eo ad aliquam legem vel jus Apostolicum fuisse provocatum observabimus, quod tamen Bellarminus ex Augustino ostendere se posse putavit. Id nunc saltem notatu dignum est, si opinionem Manichæorum de usu conjugii *Electis* omninò prohibiti accuratè executiamus, quam ab Apostolo inter doctrinas dæmoniorum numeratam Bellarminus statuit, & æquâ perpendamus lance, quinam huic Manichæorum errori propiores sint; Romanenses, Clericorum cœlibatum ex jure & lege urgentes, & conjugium ob turpitudinem aliquam & pollutionem Ecclesiæ Ministris prohibentes, an evangelici, illud juxta oraculum Apostoli honorabile in omnibus & apud omnes in usu debito statuantes, nemo non videt, his procul ab eo remotis, illos quam-proximè ad eos accedere, eorundemque non unis niti hypothesebus, quod parallelismus & utrorumque quoad potiores comparatio demonstrabit ad oculum.

Nos progredimur ea inter in vindicatione argumentorum pro Clericorum conjugio ex autoritate Augustini, prætermisissis secundo & tertio, utpote per eandem Augustini autoritatem adhuc salvis, ad quantum, duplici testimonio Paulino i. Cor. 9. Philipp. 4. fultum, quorum prius ad jus Apostolicum uxores non solum habendi, sed & secum *circumducendi* provocat: posterius autem hortatur *Germanam* (Pauli, ut non improbabiler ad eò statuitur) *conjugem*, Philippistum temporis degentem, ut fideles *Fœminas, Evodiam & Syntycken*, quas insigniter commendat, ope sua velit adjuvare. Utrumque hoc testimonium Pauli nobis autoritate Augustini eripere tentat Bellarminus, & quod ingenuè fateri necessum habemus, si in cæteris omnibus res ita haberet, Augustinus non esset noster, sed Papista. Non enim solum quod prius testimonium iis consentit, qui Apostolum de aliis fidelibus fœminis, non propriè de uxoribus locutum sentiunt; sed & quoad posterius, eundem Apostolum non de *germana uxore* intelligi debere existimat, quia Paulum plane uxorem non habuisse credidit. Fatendum id est, inquam, scilicet, Augustinum ductu aliorum, qui jam tum cœlibatui Clericorum plus debito faverunt, seductum, id etiam defendisse, quod ad

rem hanc pertinere visum ei fuit. Sed num, quæ Augustino ex seculi genio adhaesit opinio, ad jus Apostolicum debet referri, ac sine omni contradictione recipi? Minime id quidem, cum & inter ipsos Ecclesiæ Romanensis Doctores ac acerrimos cœlibatus defensores sint, qui ab Augustini interpretatione hic fecerunt secessum, eundemque in modum utrumque Apostoli testimonium intellexerunt, quo ab evangelicis hodiernum solet intelligi. Non prolixè adducam decretum *Leonis* Papæ, hoc

e. Omnino,  
distinct. 31.

nomine Noni, quod *Gratianus* Jure Canonico inseruit, qui verba Apostoli de circumductione *Mulieris-Sororis* expressè de propriâ conjuge explicavit. Neque ad consensum *Laurentii Valle* & *Erasmi* provocabo, quos utur eruditissimos Viros plerisque Romanensibus ob libertatem styli & apertam in pluribus mentem minus gratos esse, satis est notum. Ex omnibus juvat nunc audire *Ambrosium Catharinum*, notissimum priori seculo epistolarum Pauli illustratorem, qui ad utrumque ex eo testimonium contra Augustinum evangelicis favet, ad prius ita scribens: *Loquitur Apostolus, ut non-nulli* (non Lutherani, sed Papistæ) *volunt, de sua uxore, quam, ut expeditius discerneret predicando, non ducebat secum, sicut ceteri Apostoli & fratres Domini, & quod magis mirum videbatur, etiam Cephas, ille Princeps Apostolorum, qui illud sibi permittebat.* Et post aliqua: *Vtebantur Apostoli ministerio mulierum* (conjugum) *ad multas communitates, quas generoso quodam animo Paulus prætermittere.* Quia verò Bellarminus vitæ à Paulo ductæ continentiam evidenter Augustinum deducere existimat ex eo in-

1. Cor. 7.

primis testimonio, quo Apostolus velle & optare videtur, *ut omnes essent ei similes*, idè operæ erit pretium, super eo etiam hujus *Catharini* audire sententiam, quæ hæc est: *Nullibi rectè colligitur, Paulum fuisse Virginem, nec inconjugatum quidem, ita ut nunquam habuerit conjugem, quia potius contra, cum hic, loco nimirum posteriore, scribat Viduis, quos vult manere, sicut seipsum, volebat enim eos manere castos in conjugio & viduitate. Nam superius, loco videlicet priore, vult omnes sicut seipsum & adquebatur matrimonio junctos, innuens, se abstinere etiam vivente uxore, ita viduus censetur re ipsa, quia, quantum ad opus conjugii pertinet, talis erat, quod mihi magis placet; nam quod uxorem habuerit, compluribus testimoniis persuadetur & argumentis.* Quam maximè autem de eo meretur audiri in explicatione illius loci, ubi Paulus

conf. D.  
Dannh.  
Christ.  
Art. I.  
p. 128. seqq.

*Germanæ conjugis* mentionem facit, sequentia habens: *Si quis à me querat, quid credam, huic respondeo, Constantissimè credo, & nullo modo dubito, Paulum, si ante conversionem non habuit uxorem, nunquam habuisse. Quod si quis rursus me roget, quid absolute putas, habuit ne uxorem Paulus, an secus? respondeo primùm, me non ignorare, & Hieronymum (cur omisit Augustinum?) est nonnullos ex nostris id negare; contra autem antiquos Græcorum nonnullos adserere. Sed cum ea, que ejusmodi sunt, vel de scripturis sanctis, vel de Historiis & Traditionibus accipi debeant, si queratur, an contineatur in scripturis, Paulo nullam fuisse uxorem, id non reperiri arbitror. Sin autem è converso rogent, utrum existimem, de scripturis probari posse oppositum, respondeo, me ita existimare, modo non simus pertinaces & duri nimis, nam & in præsentis loco id suaderi crediderim. Cetera non addo, satis enim est, Catharinum contra Augustinum agnovisse, Paulum fuisse uxoratum, idque ex eisdem demonstrasse locis, quæ Bellarminus autoritate Augustini evangelicis eripere conatus fuit.*

Pergamus nunc, & alia quoque argumenta videamus, quibus eadem Augustini autoritate Bellarminus occurrere studet, ne conjugium præ cœlibatu Clericorum valeat. Insigne autem suppeditat prima conjugii institutio, verbis *Crescite & Multiplicamini*, à Mose luculenter expressa. Huic ut satis pro viribus faciat

Gen. 1.

Bellarminus, negat, *præceptum in his sonare verbis, sed naturæ institutionem exprimi statuit*; quamvis in proximè sequentibus, quod præcipitanter scripsit, aliquà ex parte emendet, scribens, *concedi posse, quod præceptum naturale sit de conjugio inveniendum, sed quia sit affirmativum, non obligare, nisi in casu necessitatis, id est, quando periculum immineret, ne genus humanum pereat. Addit, Ecclesiæ Patres ad hoc respicientes dixisse, illud, Crescite & multiplicamini, tunc fuisse præceptum singulis hominibus, quando terra erat vacua, ut in exordio mundi & mox à diluvio; nunc autem cum terra sit plena, cœlum esse replendum, quod melius continendo, quam nubendo fiat; & hanc solutionem esse etiam post alios Augustini.* Ipsam verborum, *Crescite & multiplicamini*,

de S. Virgin. cap. 9.

significationem quod attinet, etiam eam facilius obtinere possemus à Doctores Ebræis, linguæ, quæ & Deus conjugii author hæc verba protulit, & Moses Dei Amnueus scripsit, magis gnari, quam Interpretes Latini, etiam ex recentiorum plerorumque numero, quos præceptum propriè ita dictum in hoc oraculo agnovisse, dudum

dum ab aliis est ostensum, nihilo tamen minus, si ad Augustini quoque auctoritatem respiciamus, exinde id non impetrabit Bellarminus, cujus respectu ad eam provocavit. Fatendum quidem & hic est ingenuè, eum loco per Bellarminum laudato imitationem *Hieronimi*, & ut supra jam monui, pro temporis illius genio, aliqua de comparatione status conjugalis & virginalis ac utriusque differenti necessitate scripsisse, quæ rationem hujus præcepti quasi non amplius obligantis aliquâ ex parte videntur evertere, atque virginitatis prærogativam confirmare. Attamen non ausus est sanctus Doctor expressè ipsum hoc Dei præceptum, *Crescite & multiplicamini*, infirmare, aut esse præceptum negare, quia potius maluit illud silentio prætermittere, quam aliquid contra ejus literam satis claram ad hypotheseos suæ de laude *Sanctæ* (non autem invitæ, multò minus impuræ) *Virginitatis* confirmationem in præjudicium divinæ auctoritatis proferre. Alibi quidem, ubi hunc locum contra Manichæorum deliria explicare in animo habuit, eum ad spirituales traxit fecunditatem, existimans, eum post peccatum in carnalem fecunditatem esse conversum. At senior factus & hæc accuratiori trutinâ ponderans in retractationibus omninò non adprobavit. Undè palam est, Augustinum, etsi in hac quæstione à seculi genio seduci se passus sit, non tamen id constanter docuisse, quod Bellarminus auctoritate ejus docere & lectori persuadere laboravit. Idem erit observandum circa vindicias argumenti sequentis, eo nitentis oraculo, quo Paulus propter fornicationem unumquemvis suam habere uxorem præcipit, ut potè contra quod Bellarminus inter alia id excipit, *dicit hoc ab Apostolo*, qui votum continentie non habeant, addens, præter alios Patres Augustinum quoque hanc exceptionem habere. Fatendum & hic est, Augustinum, quamvis loco per Bellarminum citato expressè hoc Pauli oraculum & verbotenus non laudet, ibi tamen, ubi in margine ab editoribus ponitur, hæc extare verba: *Virgo, quæ si nuberet, non peccaret; sanctimonialis, si nupserit, adultera reputabitur.*

Et quidem eadem ferè verba alibi quoque apud Augustinum leguntur, nimirum in *de bono viduitatis* libro, ex quo tamen Gratianus tale Juri Canonico inferuit decretum, quod testari potest, Augustinum Doctorem mitius de conjugio etiam Deo factorum sensitse, quàm juxta stylum seculi, quo vixit, scripsisse. Verba à Gratiano citata hæc sunt: *Quidam nubentes post votum adserunt adulteros esse. Ego autem dico, quod graviter peccent, qui tales dividunt.* Præscripsit autem Gratianus huic Canonis sequens lemma: *Nubentes post votum, non esse ad invicem separandos.* Non planè nullius erit operæ pretium, quid de hoc Canone Augustiniano præter & post alios plures *Ferdinandus de Mendoza*, Concilii Illiberitani explicator statuerit. Rectè autem & verè dixit, Gratianum summam hæc ex toto capite retulisse, propria Augustini verba referens, de quibus ingenuè testatur, quod sanctus Pater non solum nuptias post votum valide contrahi posse dixerit, sed, quod magis mirum, licitè id fieri posse adfirmaverit. Videamus ergò, quid scripserit Augustinus, & quæ ejus super hæc re mens fuerit. Etsi enim de hac quæstione inferius quoque agetur, quia tamen ad laudati oraculi apostolici sensum ex auctoritate Augustini indagandum quam-maximè pertinet, in antecessum id breviter excutiamus. Verba, quorum epitomen Gratianus exhibuit, hæc sunt: *Qui dicunt, talium nuptias non esse nuptias, sed potius adulteria, non mihi videntur satis acutè & diligenter considerare, quid dicant; fallit eos quippè similitudo veritatis.* Quia enim conjugium Christi dicuntur eligere, quæ Christianâ sanctitate non nubunt, hinc argumentantur quidam dicentes: Si viro suo vivo, quæ alteri nubit, adultera est, sicut ipse Dominus in Evangelio definivit; vivo ergò Christo, cui mors ultra non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, si homini nubit, adultera est. Qui hoc dicunt, acutè quidem moventur, sed parum attendunt, hanc argumentationem quanta rerum sequatur absurditas. Cùm enim laudabiliter etiam vivente viro ex ejus consensu continentiam Christo fœmina voveat; jam secundum istorum rationem nulla hoc facere debet, ne ipsum Christum, quod sentire nefas est, adulterum faciat, cui vivente viro nubit. Deindè, cùm primæ nuptiæ melioris sint meriti, quàm secundæ, (NB. *Et hæc ad fermentum illius seculi pertinent,*) absit, ut sanctorum viduarum iste sit sensus, ut Christus eis videatur secundus quasi maritus; Ipsum enim habebant & antea, quando viris suis fideliter serviebant subditæ, non carnaliter, sed spiritualiter virum, cui Ecclesia ipsa, cujus membra sunt, conjux est, quæ Fidei, Spei, Charitatis integritate non in solis virginibus sanctis, NB. sed etiam in viduis & conjugatis fidelibus tota virgo est. Universæ quippe Ec-

vid. Selden.  
de Jure  
Nat. lib. V.  
cap. 5.

lib. I. de  
Gen. con-  
tra Ma-  
nich. c. 19.  
lib. I. c. 10.

1. Cor. 7.  
1a Pt. 83.

c. Quidam  
distinct. 27

lib. II. c. 28.

cap. 10.

„clesiæ, cujus illæ membra sunt, apostolus dicit. Artavi vos uni viro virginem ca-  
 „stam exhibere Christo. Novit autem ille conjugem virginem sine corruptione  
 „fecundare, quem in ipsa etiam carne potuit mater sine corruptione procreare, (rectius  
 „generare.) Fit autem per hanc minus consideratam opinionem, quâ putant, la-  
 „psarum à sancto proposito feminarum, si nupserint, non esse conjugia; non par-  
 „vum malum, ut à maritis separarentur uxores, quasi adulteræ sint, non uxores, &  
 „cum eas volunt separatas reddere continentia, faciunt maritos earum veros adul-  
 „teros, cum suis uxoribus *vivis alteras dixerint*. Hæc omnia ibi Augustinus, quæ  
 „ideò prolixius & integro contextu hic leguntur exscripta, ut eò facilius iis occurrere  
 „possit exceptiunculis, quibus non pauci mentem Augustini satis clarè obfuscare &  
 „pervertere adnituntur, è quorum numero *Mendoza*, quem dixi, ultimus non est,  
 „& præter alios plures scribentis: *Multa excogitarunt hujus seculi scriptores ad dif-*  
 „solvendum hunc impeditum Augustini nodum, quem adversus Ecclesiæ nostræ  
 „decreta & religionum institutum Brentius hæreticus, Petrus Martyr & alii eorum  
 „sectatores adeò exultantes proponunt, ac si de universâ Ecclesiâ triumphassent.  
 „Quidam enim hunc locum facilius negari posse, quàm solvi, dixerunt, ut Espen-  
 „sæus. Alii liberius totum librum non esse Augustini adfirmantes, sed Juliani cuius-  
 „dam Pelagii hæretici sectatoris. Sic Hofius Cardinalis, non minus eruditione &  
 „pietate, quàm dignitate illustrissimus, in sua illa Christiana & docta catholice fidei  
 „professione de matrimonii impedimentis. Qui majori reverentia & religione lo-  
 „cum hunc Augustini tractarunt, de voto simplici, non de solenni intelligendum  
 „docent, ut Gratianus, Lombardus & alii; idque communi scriptorum hujus ætatis  
 „consensu receptum est, ut testantur Sotus, Bellarminus, ac tandem doctissima illæ  
 „Gregoriana decreti adnotatione. Sed age, videamus, si Augustini mentem præstan-  
 „tius adsequi non possimus, an examinare saltim possimus accuratius, nec mentem  
 „tantum, sed & verba epistolæ (*Libri*) & epistolam (*Librum*) totam à calumnia obje-  
 „cta vindicare, cum certò illam esse Augustini testetur Possidius. Augustinus enim  
 „ibi eò intendit animum, ut doceret Julianam Viduam, & ejus etiam nomine omnes  
 „Christianas, (ad Julianam enim scribebat, quæ nullo voto simplici, ut vocant, vel so-  
 „lenni se devinxerat, sed continentia statum repulsis nuptiis secundis elegerat,) bo-  
 „na & perfectionem viduitatis continentiaque; sic enim librum vel epistolam in-  
 „scripsit, de *bono & perfectione viduitatis*. Multa dixit de illius laude, non tamen illa  
 „tantum esse adfirmavit, ut si viduæ velint nubere secundò, ne urerentur, illis non lice-  
 „ret, reprobatur enim antiquum Terrulliani, secundas nuptias velut adulterium da-  
 „mnantis, & cataphrygarum errorem, in quem ne impingeret Juliana, (ab eo enim  
 „non præcul aberat nimia continentia suæ laudatione,) multis verbis docet, suadet  
 „atque contendit omnibus ferè capitibus præcedentibus. In hoc ergo persistens  
 „proposito Augustinus, ad revincendam illius erroris falsitatem, post alia adjecit.  
 „*Ipsa, quæ præscriptissimus, cum recitasset verba, ita pergit Mendoza*: Hæc eo animo &  
 „consilio Augustinus, quibus nihil verius, nihil doctius, nihil sanctius, nihil antiquis  
 „& recentibus Ecclesiæ Catholicæ moribus & decretis accommodatius vel scribi  
 „potuit vel excogitari. Hoc autem solùm scripsisse & docuisse Augustinum, non ve-  
 „rosimilibus argumentis, sed propriis rerum & mentis suæ notis confirmabo. *Non*  
 „*vacat omnia hæc adscribere, ut pote prolixiora. Id saltim nunc porrò addam, quo proli-*  
 „*xissimam hujus suæ explicationis deductionem fini-vit*: Non ergò nuptias post votum  
 „emissum admittit Augustinus, ut Brentius contendit, & quod magis miramur, Ho-  
 „sius Cardinalis. Persuasus enim, hanc fuisse Augustini sententiam, opponit adversus  
 „illam Cyprianum, Ambrosium, Basilium, Theophylactum, ea vocitantes adulte-  
 „ria; cum tamen sit certum, non tantum similia Augustinum cum Cypriano & reli-  
 „quis Patribus sanctis, sed eadem prorsus & eodem Ecclesiæ Catholicæ sensu & Spi-  
 „ritus Sancti adflatu Christianæ docuisse & sapienter, scilicet, viduas nullo emissio-  
 „& pia Augustini doctrina cum Divo Paulo, cum Pontificibus, cum Conciliorum de-  
 „cretis mirè consentiat, quid opus est illam de simplici voto interpretari? Ex quibus  
 „deducitur vera & germana Augustini sententia, continentia votum ut factum li-  
 „citum, si ruptum illicitum & redditum esse necessarium, contextumque à Gratiano  
 „relatum falsò tribui Augustino, cum verbum illud, post votum, in toto Augustini  
 „libro non extet, nec ad rem & causam Augustini & Julianæ spectabat, quæ de solo  
 „bono

conf. D.  
 Dorisch,  
 Indic.  
 Iniqu.  
 p. 268.

bono erat simplicis propositi continentia. Quod notandum est etiam ad ea, quæ Interpretes nostri, verbis Augustini graviter pressi, sensu diverso docere solent. Omnibus aliis prætermisissis, quæ ad prolixam hanc verborum Augustini non tam interpretationem, quam perversionem manifestam possent & fortè deberent observari, ea nunc tantum subungere placet, quæ nuperus editor Concilii hujus Illiberitani à Mendoza illustrati, *Immanuel Gonzales*, Doctor Salmanticensis contra eam in additionibus suis notavit, utpotè in præsens sufficientia: *Sententia retenta, videlicet*, conjugia à religiosis viris sacratisque virginibus, sæculis Ecclesiæ prioribus usque ad duodecimum, valida fuisse, licet prohibita, facile defendi potest Augustinus à Gratiano relatus, cujus verba refert Mendoza; in eis enim sanctus Doctor apertè reprehendit eos, qui existimabant, nuptias hujusmodi nullas atque dirimendas esse, & adserit, hujusmodi conjugia nequaquam esse adulteria censenda, sed legitima, licet illicita, cum adhuc ab Ecclesiâ non essent sub irritatione prohibita. Unde necessum non est, cum Mendoza in præsentem accipere Augustinum de secundis nuptiis, quas non nulli suis temporibus parùm consideratè damnaverant, agit enim sanctus Doctor de nuptiis post votum castitatis emisum celebratis, ut omnes fatentur Doctores, ideoque adducit locum Pauli, ubi de viduis post votum emissum ad nuptias transeuntibus agit Apostolus. Nec rectè pro sua sententia expendit Mendoza, Augustinum scribere ad Julianam Viduam, quæ nullo tenebatur voto; igitur agit de secundis nuptiis. Sed licet hoc ita esse admittamus, quid inde? An, quia viduitatis propositum commendare cœpit, non potuit ad alia conjuncta gradum facere? Essent & in his & sequentibus, quæ mererentur censuram, nisi factis esse posset, videre Fratrum Cadmæorum inter se super laudata à Gratiano Augustini sententia pugnam, ex qua ad nostrum in præsens institutum non planè nihil commodi expectandum.

Ego nunc iterum plus ultra progredior, ex alio quodam Augustini loco ostensus, eum sententiæ Apostoli, qui, *ut propter fornicationem unusquisque suam habeat uxorem*, præcipit, juxta orthodoxorum explicationem non ita fuisse contrarium, ut Bellarmino quidem & aliis pluribus visum est. Exhibet cum *Thomas Sanchez*, in de sacramento matrimonii opere, sequentem tractans *Quæstionem*: *Nam ei, qui venereis tentationibus vexatus possum summabit, nec aliis adhibitis mediis, fore, ut illi consulatur, spes est, liceat suadere, ut matrimonium ineat, quamvis voto castitatis simplici adstrictus sit? Addit pro uberiori Quæstionis intellectu*: *Quæstio hæc ex eo pendet, an liceat minus malum consulere illi, qui majus perpetrare animo constituit, & ad id inducere illum? Pro responsione subjungit*: *Duplex est sententia. Prima ait, illicitum esse, id minus malum consulere. Altera, quam veriore existimo, licet prima sit satis probabilis, ait, licitum esse, consulere minus malum gratia vitandi majoris, quando is, cui consulitur, constitutum apud se habebat majus illud malum perpetrare, & alia via à malo revocari nequit proposito. Ut si quis certus sit adulterium perpetrare, nec alio possit retrahi modo, illi potest suaderi, ut potius simplicem admittat fornicationem. Probatur ex Augustino, cujus sententia à Gratiano refertur in Jure Canonico, quæ hæc est: *Si facturus est, quod non licet, jam faciat adulterium, & non faciat homicidium; ut vivente uxore sua alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat*. Ubi Augustinus ei, qui decreverat uxorem necare, quo aliam duceret, consulit, ut potius adulterii reus sit, aliud vivente uxore matrimonium ineundo, quam uxoricidii. Et quamvis glossa ibi explicet hunc textum, ut loquatur non consulendo, sed permittendo, ita ut sensus sit, potius esse permittendum minus malum; & eodem modo ibi explicat Turrecremata, explicat enim, faciat, id est, tolerabilius erit. At verò textus non permissionem, sed Consilium continet, quod clarè sonant verba, *jam faciat adulterium*. Alii autem volunt, eum textum minimè favere huic sententiæ, sed potius contrariæ, quod ibi Augustinus subdat, non esse illicitum pro illicito faciendum, concludens, si utrumque sit nefarium, alterum pro altero minimè perpetrandum esse, sed utrumque vitandum, Sic Gabriel, Immanuel Saa & Pererius. At alii, nominatim Abbas, Ananias, Adrianus, Sotus, Navarrus, Gutier, Aragonius, Molina, (dicens, esse rem apertam) explicant hunc textum, ut verè Augustinus consulat id minus malum; quia, quamvis dicat, neutrum crimen esse perpetrandum, neque alteram pro altero eligendum, ac proinde eligentem minus delictum culpæ obnoxium esse; at expressè, quando delinquens utroque renuit abstinere, consulit illi, *ut minus exequatur malum*. Ad ipsam*

1. Timoth. 5.

Thom. II. lib. 7. Disp. 11.

lib. II. de adult. con. jug. c. 15.

ipsam Augustini ex *Gratiano* sententiam, ejusque diversam apud Interpretes Papi-  
stas explicationem, nunc quidem nihil addo, cum id hujus loci non sit: id tantum  
noto, si Augustinus juxta *Sanchezii* & aliorum, quos citat, sensum, in eo, quem for-  
mavit; casu, ipsum non concessit, sed consultus suavit adulterium, ad evitandum ho-  
mucidium: an putandum est, eum ad evitandam fornicationem, voto obstrictis de-  
negaturum fuisse honestum Matrimonium, quod sine omni exceptione quibusvis  
non permisit solum, sed expressè præcepit Apostolus Dei Spiritu ductus, clarissi-  
mè scribens & omnibus in univèrsu loco oraculi proponens, *Melius esse nubere,  
quàm uri?*

Sed pergendum est in Vindiciis eorum, quæ Clericorum conjugio ex Au-  
gustino solent adduci, ubi jam non attentis iis, quæ ex canone Synodi Carthaginen-  
sis, tempore Augustiniæ præsentis eo celebratæ, supra fuerunt laudatæ, à quæ partis  
adversariæ glossis impertinentibus liberata; illud sicco pede prætermittendum non  
est, quod sub Augustini nomine ex *Gratiano* sibimet ipsi objicit Bellarminus testi-  
monium, quo Clericorum continentia inter eaperfectionis Consilia refertur, quæ  
Ecclesia post *Apostolorum Institutum* addidisse dicitur. Illud enim eliminaturus re-  
spondet Bellarminus, *verba hæc non esse Augustini, sed Gratiani, qui sua cum verbis Au-  
gustini continuaverit, ut sepe solitus faceret, præterea, quod hic dicit Gratianus, bonum  
habere sensum. Cum enim ait, Ecclesiam addidisse quædam Consilia perfectionis, & in  
eis numerat continentiam Clericorum, dicere vult, Ecclesiam imposuisse Clericis conti-  
nentiam præcepto servandam, quæ aliqui solum erat consilium perfectionis. Nec enim  
credibile est, tam ineptum fuisse Gratianum, ut putaverit, continentiam non fuisse con-  
siliu perfectionis ante definitionem Ecclesie.* Atqui sicut fatendum est, verba hæc  
*Gratiani* esse, non Augustini, quæ tamen in antiquis editionibus, nominatim in illa  
quæ cum Glossa *Veneriis*, per *Baptistam de Tortis*, anno seculi prioris quarto, prodit,  
ita cum verbis Augustini junguntur, ut lector Augustino non inspecto vel consulto  
per incuriam & minus accuratam contentorum utrobique ponderationem posset  
credere, omnia, quæ ibi eadem litera exhibentur, esse Augustini, etsi nota *Gratiani*  
ab Augustini Textu non parum discrepet, si debito inter se conferantur modo; ita  
in præsens contra Bellarminum sufficere potest, quod *Gratianus* suo tempore agno-  
verit, & Augustino quidem non invito, Clericorum continentiam neque divino vel  
Apostolico jure niti, sed inter Ecclesiæ tantum consilia referri, Bellarmino mentem  
*Gratiani* insigniter pervertente, dum consilium Ecclesiæ in præceptum mutare au-  
sus est, verbis Gratiani apertissimè reclamantibus. Incidenter hic & ingenuè mo-  
nendum est, dum de *Gratiani* sententia sub Augustini nomine per errorem vendita  
agitur, idem evenisse alii etiam *Gratiani* sententiæ ad præsentem materiam perti-  
nenti, ei nominatim, quæ *Gratianus copulam Sacerdotalem nec legali, nec Evangelica  
vel Apostolica auctoritate prohiberi* scripsit, in Nota ad testimonium aliquod Augu-  
stini de Sortibus, quæ tamen verba, dum itidem in editionibus antiquis eadem lite-  
rarum formâ ac sine ullo discrimine leguntur, *Andreas Fricius Modreusius*, inter  
Irenicos seculi superioris scriptores satis notus, in *de emendatione Reipublice* Chri-  
stianæ ad Regem, Senatorem, Episcopos, Equites & populum Poloniæ univèrsu  
Commentariis, de hoc eodem argumento satis prolixè agens tanquam Augustini  
verba ex *Gratiano* laudavit.

Nunc unum adhuc argumentum pro conjugio Clericorum superest vindicandum, ne & in eo Augustinus à partibus Evangelicorum omnino videatur dissen-  
tire. Exhibet illud verba Christi, quibus verbum de continentia, videlicet perpetuâ &  
Voto singulari adstricta, non omnes capere dixit. Dupliciter id Oraculum  
authoritate Augustini nobis eripere tentat Bellarminus, semel ad eum provocans  
Augustini de adulterinis conjugis librum, ex quo Sanchezium in contrarium proxime  
vidimus agentem, ut opera ulteriori opus non sit; deinde eam obtendens Augu-  
stini doctrinam, quæ eum cum aliis Patribus perhibet docuisse, neminem esse, qui  
continere non possit, si velit. Iterum fateor, Augustinum non adeo remotum ab  
hac videri doctrinâ, si verba ejus legantur ad quæ Bellarminus lectorem misit, qui-  
bus non diffusus est sanctus Pater id à Deo impetrare, si gemitu interno pul-  
saret aures ejus, & fide solida in eum jactaret curam suam. Sed dum Au-  
gustinus id de se in ea ætate præsumit, quæ cum libris Confessionum  
scripsisse notum est, non sequitur, omnium id esse, cum aliàs & alibi idem te-  
stetur, utramque continentiam sive castitatem, videlicet & virginalem &  
conju-

c. Cum  
igitur, 35.  
qu. 1.

c. Sors. 26.  
quæst. 2.

lib. IV. cap.  
10. p. 301.

Matth. 19.

lib. 6. Con-  
fess. cap. 11.

de Contin.  
cap. 1.

conjugalem à Paulo predicari tanquam singulare donum Dei. Quin & eo in loco, quem Bellarminus modò ad suas trahere conatus est partes, hæc sanctus Doctor ad laudata Christi verba addidit: *Qui potest, capiat, quod non omnes capiunt.*

Et jam posset hæc de cœlibatu Clericorum tractatio finem habere, cum de omnibus actum sit ex debito, quæ ad auctoritatem Augustini in hoc etiam argumento vindicandam videbantur necessaria; nisi ex superfluo tribus tantum verbis de illadicendum videretur Epistola, quam *Vdalricum* quondam Augustæ in Patria Episcopum ad Nicolaum Pontificem Romanum contra hunc cœlibatum scripsisse, præter *Centuriarum Magdeburgensium* scriptores testatur collector *orthodoxographorum* superiori seculo non multis post cœptam Dei gratia & Lutheri ministerio reformationem annis editorum, in qua præter alia illud in primis Augustini testimonium notatu dignissimum legitur: *In timore Christi, in nomine Christi exhortor, quicumque non habetis temporalia, habere non cupiat; quicumque habetis, in eis ne presumatis. Dico autem, non si ista habetis, sed si in istis presumatis, damnamini, si propter talia magni vobis videamini, si communem generis humani conditionem propter excellentem unitatem obliviscamini. Quod nimirum discretionis poculum ex illo fonte prædicationis Apostolica hausseritis: Solutus es ab uxore, noli querere uxorem; adligatus es uxori, noli querere solutionem. Vbi & subditur: Qui habent uxores, tanquam non habentes; & qui utuntur mundo, tanquam non utantur. Item dicit de Vidua, cui vult nubat, tantum in Domino. Nubere autem in Domino est, nihil in contrahendo Connubio, quod Dominus prohibeat, attentare.* Equidem manibus pedibusque contranitur Bellarminus & omnes alii, qui pro Clericorum cœlibatu militant, ne quid auctoritatis hæc Epistola obtineat, varia conquirendo argumenta, ut suspecta de suppositione fiat lectori, quibus tamen post alios dudum satis ex asse fecit D. *Gerhardus* noster, ut ad plenariam confessionem nihil sit super. Illud tantum hic in gratiam lectoris moneo, celebrem quendam Virum in hujus argumenti tractatione occupatum de *Vasquezio* scribere, rectius eum, quam alios hodie Pontificios, hanc Epistolam sine tergiversatione ut genuinum scriptum ad legere & admittere. Sed si ipse *Vasquezius* consulatur, aliter omninò eum de hac Epistola censuisse legitur, similem videlicet in modum, quo Bellarminus, utpote ad cujus examen apertissimè provocat, ex *Stephano* etiam addens, eam esse confictam. Unde autem celebris hic Vir & in scriptis non unius generis & speciei autorum satis diligenter versatus id habuerit & hausserit, contrariam *Vasquezio* adscribens sententiam, hæcenusi divinare non licet. Videant ii, quorum interest, ne per ejus auctoritatem lector de *Vasquezio* aliter sentiat, quam par est & justum.

Ego ad id tandem me confero, quod ad pendicis loco excutiendum restat de digamis, circa quos hanc Quæstionem format Bellarminus, *Num Apostolica lege prohibitum sit, ne, qui post obitum primæ uxoris alteram duxit, ad sacros ordines admittatur?* Et quia hanc controverfiam ex eo apostoli oraculo decidendam esse agnovit, quo Episcopum (& Diaconum) unius uxoris Virum esse vult, hinc ubi diversas Interpretum super eo sententias adduxit, ut eam omnibus modis defendat, quæ apostolum de Digamiâ non solum simultaneâ, sed etiam successivâ, aliâs *Deuterogamia*, intelligendum esse statuit, ad Patrum quoque auctoritatem, Augustini nominatim provocat, addens, unum esse *Theodoretum*, qui contrariam de Digamiâ saltem simultaneâ ab apostolo prohibita tuatur sententiam. Videamus ipsa Augustini verba, ut de ejus sententia eo commodius fieri possit judicium, quæ nimirum ipse laudat Bellarminus. Ita autem sanctus Doctor: *Non absurdè visum est, eum, qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commississe, sed normam quandam sacramenti amisisse, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessarium.* Ad quæ verba Bellarminus hæc notat: *Augustinus cum dicit, numerum singularem uxorum excedere, impedimentum esse ordinationis, nec tamen esse peccatum, aperte indicat, se loqui de multitudine uxorum non uno tempore, sed diverso, nam eodem tempore plures habere uxores, Christiano plane nullo licet modo ex Augustini sententia. Fatendum & hic iterum est, Augustinum contra Digamiâ quoque successivam pugnasse, sed non ex jure quodam apostolico, quod Bellarmino demonstrandum fuit, verum ex more & usu seculi, quo ipse vixit, id quod verbis proximè antecedentibus manifestum fecit, scribens: *Sacramentum nuptiarum temporis nostri sic ad unum maritum & unam uxorem est redactum, ut Dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinare, nisi unius uxoris Virum.* Ubi simul notari meretur, Augustinum Patrem verbis*

lib. V. de  
adult. con-  
jug. cap. 18.

Confess.  
Cathol.  
Tom. III.  
p. 61.

in 3. p.  
Thom.  
Disp. 249.  
cap. 7.

de Bono  
Conjug.  
cap. 18.

verbis proximè sequentibus aliquam instituere comparationem inter Polygamiam Patriarcharum veteris, & monogamiam Sacerdotum Novi Testamenti, quæ locum habere non posset, nisi utrobique & Polygamia & Monogamia intelligeretur simultanea, utpotè quæ hic tertium vel terminum comparationis statuit. Verba hæc sunt: *Sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias uni Viro Christo subditas, ita noster Antistes unius uxoris Vir significat ex omnibus gentibus unitatem uni Viro Christo subditam.* Quæ Bellarminus, ut & hic successivam obtineat Digamiam vel potius *Devterogamiam* ab Augustino intellectam, regerit, frivola sunt. Scribit, *Antithesin Sacerdotum Testamenti Veteris & Novi in eo solum esse positam, quod illi plures habuerint uxores, isti unam; non autem in eo, quod illi habuerint plures simul, isti non.* Existimat, ex duobus id posse colligi. Primò, *Augustinus dicit, ideo Sacerdotes Novi Testamenti non posse plures habere uxores, quia significant Christi conjugium cum una Ecclesia; at Ecclesia una est omnino, non una post alteram.* Deinde, *idem Augustinus ibidem dicit, non esse peccatum, duas nunc habere uxores, sed tamen esse impedimentum ordinationis; at habere simul duas tempore Novi Testamenti, peccatum esse, idem docet Augustinus.* Igitur cum dicit, *Sacerdotem Novi Testamenti posse nisi unam habere uxorem, intelligit nec simul, nec successivè.* Frivola inquam hæc sunt, quibus rationem antitheseos Augustiniana exhibet Bellarminus nulla ratione fultam, sed claritati verborum omni ex parte contrariam. Quid enim? Annon, sicut una est Ecclesia utriusque Testamenti, etiam si repudiata Ecclesia Judaica, verè spiritualiter mortua, Christus è gentilitate novam sibi adaptavit vel adoptavit sponsam & conjugem; ita Viro etiam Sacerdoti mortua conjuge priorilicebit in locum ejus aliam substituere, & quidem sine unitatis læsione, dum una post alteram suscipitur? Præterea, dum Augustinus fateatur, peccatum non esse, duas habere uxores, successivè nimirum; eometipso agnoscere debuit Bellarminus, eam legem, qua digamvis, vel rectius Devterogamis, ordinatio Ecclesiastica denegatur, neque divino, neque Apostolico Jure niti, sed humanam sapere, si quæ est, sapientiam & traditionem novam. Quod verò Augustinus in Monogamiæ Ecclesiasticæ encomio aliquam unitatis Ecclesiasticæ significationem exhibuit, ultra scopum extendi non debet, quia hæc significatio unitatis etiam in Digamia successiva vel Devterogamia locum habere potest, ut modò de unitate Ecclesiæ utriusque Testamenti observatum est, & ipse Augustinus, quod de Monogamia Sacerdotum scripsit, in eodem ferè comparationis tertio & termino de Monogamia cunctorum fidelium voluit intellectum, hæc in paulò post sequentibus addens: *Sicut sacramentum pluralium Nuptiarum illius temporis significavit futuram multitudinem Deo subjectam in omnibus terrenis gentibus, sic sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrum Deo subjectam futuram in una caelesti Civitate.* Sicut ergo Augustinus significationem unitatis ostendit in Monogamia Sacerdotali, ita eam quoque exhibuit in Monogamia aliorum fidelium, quibus Digamiam, imò Polygamiam succedaneam Jure Apostolico fuisse prohibitam, Bellarminus statuere non audebit, nisi Paulo in faciem velit contradicere. Posito autem, quamvis non concessio, Augustinum contra successivam quoque Sacerdotum & Ministrorum Ecclesiæ Digamiam quasi ex Jure Apostolico egisse, quod tamen ab eo non factum vidimus; et si insuper hic toti in vindicanda Augustini auctoritate sumus occupati, quantum videlicet Alethæ sanctitas permittit; nihilo tamen minus non immeritò illud lectori accuratius ponderandum potest proponi, an ita auctoritate Augustini hic standum sit, ubi plures alii Patres, Græci pariter & Latini, alia planè via indaganda Apostoli sententia procedendum existimarunt. Bellarminus quidem unum esse *Theodoretum* audacter, vel impudenter potius & ignoranter pronuntiat, qui contrariam de Digamia saltem simultaneam ab Apostolo prohibita tueatur sententiam; è Græcis *Chrysostomum*, *Theophylactum*, *Oecumenium*; è Latinis *Hieronymum*, *Anselmum*, *Sedulium* cum aliis pluribus ad suas trahens partes, sine omni exceptione sibi ad stipulantes. At sincerè magis hanc rem tractavit *Esperæus*, scriptor superioris seculi eruditissimus, post *Theodoretum* ingenuè *Chrysostomum*, *Theophylactum*, *Hieronymum*, Pauli Oraculum de Digamia saltem simultaneam intelligentes laudans, eorumque sententiam super hac re verborenis & prolixè adducens, unde satis superque potest constare, in alia eos, quàm Augustinum, quod oraculi Paulini sensum fuisse sententia. De *Hieronymo* in specie idem agnovit *Sixtus Senensis*, duobus in locis verba ejus huc pertinentia exhibens, hac cum observatione, *Sedulium & Anselmum*

Comment.  
ad Epist. I.  
ad Timoth.  
Bibl. S.  
lib. 6. An.  
not. 318.  
& 325.

scilicet cum Hieronymo statuisse. Ipsa exscribere verba opus non est, neque instituti ratio requirit, cum satis esse possit, hos scriptores Papistas testimonium contra Bellarminum dedisse, aliosque Patres & Ecclesiæ Doctores, eosque satis illustres loco Augustini nobis concessisse, quamvis nec ille in totum nobis sit contrarius, ut prolixè vidimus. Ut è recentioribus unum & alterum insuper audiamus interpretem, *Claudianus Guiliandus*, expositor scripturæ à *Possentino* insigniter laudatus, quamvis *Augustini* opinionem de Digamia succedaneâ non reprober, eam tamen, quæ digamiam simultaneam ab Apostolo tantum prohiberi adserit, in collationibus suis præponit sequentem causam prohibiti Apostolici reddens: *Hoc dixit, quia multi eo tempore plures habebant uxores, imitantes, ut adserēbant, Veteris Testamenti Patres.* Ambrosius Catharinus, quem supra quoque testem habuimus, et si & is pro *Augustini* stet sententia, ea tamen interfert, quæ nostro inservire possunt instituto, sequentia scribens: *In lege Christiana nunquam fuit licitum, duobus eodem tempore copulari, nisi Iudeis fortè ad cordis duritiam & ad tempus; & propter hos id fortè dictum est, quo SALTEM digami arcerentur ab Episcopatu.* Juvat his tandem addere, quæ *Erasmus* ad hoc Pauli oraculum notavit: *Id nunc nimium durè, ne dicam ridiculè, ad unum* torquent Ecclesiæ. Ad Chrysostrum interpretatur de unica uxore, quam habeat Episcopus; addens tamen, esse non-nullos, qui sic exponant, unius uxoris virum, qui fuerit semel duntaxat maritus. Et periclitatur Chrysostrum, ne Paulus exigere videatur ab Episcopo, ut uxorem habeat. At nunc non solum à tot Presbyteris exigitur castitas, verum etiam ab hypodiacois contractum dirimitur matrimonium. Quin id quoque vehementer adstringunt, quod eo seculo, quo summa erat Sacerdotum raritas, instituit Paulus servandum in Episcopis, ut non adiret hunc honorem digamus. Jam enim, cum tot sint Sacerdotum ubique millia, excluduntur à Sacerdotio, qui vel imprudentes duxerint corruptam; imò qui ante Baptisimum habuerint uxorem, & à baptismo duxerit alteram priore defuncta, arceatur à Sacerdotio, licet hac in parte graviter reclamante Hieronymo. Quia illud magis mirum, cum tot egregias dotes requirat Paulus in Episcopo, cæteris prætermisissis, solius uxoris habetur ratio. Admittitur incestus, admittitur homicida, admittitur pirata, admittitur Sodomita, sacrilegus, parricida; denique quis non? Solus excluditur digamus ab hoc honore, qui solus nihil admisit. Mirum est autem, ut quædam urgemus, ac plus quam mordicus tenemus, ad quædam prorsus conniventes. Si quis perpendat horum temporum statum, quotam hominum portionem greges Monachorum occupent, quotam Sacerdotum & Clericorum collegia; deinde perpendat, quàm pauci è tanto numero verè servent vitæ castimoniam, in quæ libidinum genera quàm innumeri devertant, quanto cum probro complures palàm incesti sint & impudici, fortassis judicabit magis expedire, ut iis, qui prorsus non continent, jus fiat publici matrimonii, quod absque malâ famâ purè sancteque colant potius, quàm infeliciter ac turpiter libidinentur. Sed etiam atque etiam vereor, ne census Ecclesiastici castrent hodiè Clericos verius, quàm pietas, dum metuimus, ne, quod tenemus, intercipiatur, aut certè nihil accedat. Quibus *Erasmii* verbis totam hanc de cœlibatu vel conjugio Clericorum tractationem ut potè notatu dignissimis claudere placet.

## CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM &amp; seqq.

De

## Exemptione Clericorum,

à

## Ingo potestatis politica.

Quæ Evangelicorum circa hanc Controversiam de Clericorum exemptione sit sententia, & qua in re à Doctoribus Papæ dissentiant, ipsa docet praxis. Quibus distinctionibus & limitationibus ea circumscribatur & de jure circumscribi debeat, præter Theologos ante annos non ita multos peculiari tractatu ostendit celebris quidam Jurisconsultus, Clericorum & Pastorum inter Evangelicos causam, contra pleudo-politicorum tyrannidem egregiè tuitus, laudem inde non parcam reportans. Nobis Augustini autoritas & hic attendenda venit, quam ex eo in primis loco, ad quem Bellarminus in primæ propositionis demonstratione provocavit, supra non semel vindictam licet legere, nominatim, ubi de regimine Monarchico Ecclesiæ, de jure adpellationum, de Præside Conciliorum Generali, eorumque

vid. Conf. Witeb. part. II. p. 182. seqq.

Y

que